

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A. Level Medieval Latin Examination

September 8, 1994

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. God shows favour on Job

Dominus quoque conversus est ad poenitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis; et addidit Dominus omnia quaecumque fuerant Job, duplicia. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, et universae sorores suae, et cuncti qui noverant eum prius, et comederunt cum eo panem in domo eius; et moverunt super eum caput, et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum, et dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem auream unam. Dominus autem benedixit novissimis Job magis quam principio eius; et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, et sex millia camelorum, et mille iuga boum, et mille asinae. Et fuerunt ei septem filii, et tres filiae. Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundae Cassiam, et nomen tertiae Cornustibii. Non sunt autem inventae mulieres speciosae sicut filiae Job in universa terra, deditque eis pater suus haereditatem inter fratres earum. Vixit autem Job post haec centum quadraginta annis, et vidit filios suos, et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem; et mortuus est senex et plenus dierum.

2. Books of the Old Testament (Isidore)

Librum Job quidam Moysen scripsisse arbitrantur, alii unum ex prophetis, nonnulli vero eundem Job post plagam suae passionis scriptorem fuisse existimant, arbitantes ut, qui certamina spiritalis pugnae sustinuit, ipse narraret quas victorias expedit. Principia autem et fines libri Job apud Hebraeos prosa oratione contexta sunt, media autem ipsius ab eo loco quo ait 'pereat dies in qua natus sum' usque ad eum locum 'idcirco ego me reprehendo et ago poenitentiam', omnia heroico metro discurrunt. Psalmorum liber Graece psalterium, Hebraice nabra, Latine organum dicitur. Vocatus autem Psalmorum liber quod, uno propheta canente ad psalterium, chorus consonando responderet. ...Omnes autem psalmi apud Hebraeos metrico carmine constant esse compositi. Nam in more Romani Flacci et Graeci Pindari, nunc alii iambo currunt, nunc Alcaico personant, nunc Sapphico nitent trimetro, vel tetrametro pede incedentes.

3. Caesar demands tribute from Britain (Geoffrey of Monmouth)

Interea contigit, ut in Romanis repperitur historiis, Iulium Cesarem subiugata Gallia ad litus Rutenorum uenisse. Et cum illinc Britanniae insulam aspexisset, quesivit a circumstantibus que patria esset et que gens inhabitasset, dum ad oceanum intueretur. Cumque nomen regni didicisset et populi, dixit: 'Hercle! Ex eadem prosapia nos Romani et Britones orti sumus, quia ex Troiana processimus gente. Nobis Eneas post destructionem Troie primus pater fuit; illis autem Brutus quem Siluius Ascanii filii Enee filius progenuit. Sed, nisi fallor, ualde degenerati sunt a nobis nec quid sit militia nouerunt, cum infra oceanum extra orbem commaneant; leuiter cogendi erunt tributum nobis dare et continuum obsequium Romane dignitati prestare. Prius tamen mandandum est eis ut inaccessi a Romano populo et intacti uectigal reddant et, ut ceterae etiam gentes, subiectionem senatui faciant, ne nos ipsorum cognatorum nostrorum sanguinem fundentes antiquam nobilitatem patris nostri Priami offendamus.'

4. Flexibility of Monastic rules (Lanfranc)

Mittimus uobis nostri ordinis consuetudines scriptas, quas excerptimus ex consuetudinibus eorum cenobiorum, quae nostro tempore maioris auctoritatis sunt in ordine monachorum. Addidimus quoque perpauca, et mutauimus nonnulla, et maxime in celebrandis quibusdam festis, excellentius in nostra aecclesia oportere ea agi censentes propter primatem sedem. In quibus nec nobis qui praesentes sumus, nec iis qui post nos uenturi sunt, in aliquo praeiudicamus, ut non uel eis addere, uel ab eis tollere, uel in eis permutare aliqua ualeamus, si aliter ea commodius posse fieri uel magistra ratione uel doctiorum auctoritate intelligamus. Quantumlibet enim quisquam proficiat, maximus ei defectus est existimare se ultra non posse proficere; nam numerus fratrum auctus uel diminutus, facultates locorum, varietates rerum quae saepe eueniunt, diuersitates sensuum, quod alii quidem sic, et alii sic intelligunt, pleraque diu seruata plerumque aliter ordinari compellunt; hinc est quod nulla fere aecclesia imitari aliam per omnia potest.